

que exstitit, ut periclitarer in commentariolo ad constitutionem Imperatoris MATTHIAE saeculi decimi septimi anno decimo sexto, mensis Martii die vicesimo nono Gorlicensibus, popularibus meis, missam, argumenti, in quo versatur, gravitate maxime insignem et forensium disceptationum frequentia, hac nostra aetate celebratissimam. Ea vero lex, etiamsi, qui primum eam intueatur, plana omnino et luculenta, atque nihil plane, in quo haereas, continere, nullaque interpretatione et disputatione indigere videatur, eorum tamen, qui in iudiciis patriis, vel causis orandis, vel finiendis operam dant, neminem fere futurum esse arbitror, quin quotidianas fere forensibus hominibus offerri difficultates, tum ad eius sententiam definiendam, tum ad fines usus horum temporum regendos, pertinentes, intellexerit. Quapropter, quoniam nondum quisquam, quem sciam, exstiterit, qui hanc materiam, quantum argumenti gravitas efflagitabat, peculiari libello <sup>1)</sup>

1) Exstat quidem BUDAEI commentacionula ad dict. l. in *Singular. Lusat. 10. Samml. 1735.* pag. 685. sqq. sed ad rem illustrandam, usumque legis definiendum, quae pertinent, eorum valde inops est libellus, uti mole, ita argumentis tenuis.